F. NICOLAI CONCINÆ S. THEOL. MAG. E CONGREGATIONE B. JACOBI SALOMONII ORDINIS...

Nicolò Concina



F. NICOLAI CONCINÆ
S. THEOL. MAG.
e Congregatione
B. JACOBI SALOMONII
Ordinis Prædicatorum.

ORATIO
HABITA IN GYMNASIO PATAVINO
Cum primum
AD METAPHYSICAM
Publice profitendam accederet.




VENETIIS, MDCCXXXII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Amplissimis
REI LITERARIÆ TRIUMVIRIS
JO: FRANCISCO
MAUROCÆNO
Equiti,
ALOYSIO PISANO
Equiti, & D. Marci Procuratori,
PETRO GRIMANO
Equiti, & D. Marci Procuratori,
Universoque Ordini præclarissimo
GYMNASII PATAVINI
MODERATORUM

F. Nicolaus Concina
F.

QUONIAM *hæc*, *Viri Amplissimi*, *a me habita Oratio in celeberrimo Vestro*

Gymnaſio Patavino non ſine quadam Sapientum approbatione accepta fuit, eorundemque nonnullis ab omni adulandi ſuſpicione longe alienis haud indigna exiſtimata, ut lucem aſpiceret, eam lubenti animo typis edendam illico deſtinavi; quo grati animi atque obſervantiæ erga Vos meæ publicum exiſteret, atque perpetuum argumentum. Hoc conſilio nunc jam editam ad eam Vobis ſupplex offerendam accedo, quam pro Veſtra incredibili humanitate ſpero fore, ut æqui bonique faciatis. Eoque magis id ſperare me juvat, quod cum veſtram, tum Majorum Veſtrorum providentiam, qua Metaphyſicæ cathedra fuit inſtituta, atque ſuo loco immota ſervatur, hac ipſa Ora-

tione

tione tam multum, quam quod maxime commendavi. Rationibus ſiquidem invictis ac ſumme perſpicuis palam feci, Metaphyſicam non modo utilem eſſe, ſed penitus neceſſariam Religioni naturali atque hominum ſocietati tuendæ & vindicandæ; & hac noſtra quidem potiſſimum tempeſtate, qua utriuſque principia & fundamenta nituntur homines impii ſubvertere, eadem abutentes diſciplina. Quæ autem major providentia, quodque divinius poteſt eſſe conſilium, quam eam alere facultatem, qua res Divinæ & humanæ contineantur; ex quibus felix fauſtumque Principum Imperium, & privatorum integra ſalus pendent? Quare deſinent tandem aliquando nonnulli (ſi quidem

suo possint genio non semper indulgere) Metaphysicam veluti inutilem , & nobilissima Vestra indignam Academia ad invidiam & contemtionem traducere . Quod qui faciunt , nomen tantum Metaphysicæ *usurpare , quid autem ipsa valeat , aut illi iidem ignorare videntur , aut eos certe , apud quos eam calumniantur , putant nescire . Sic porro Triumviri sapientissimi , a natura , aut consuetudine quadam comparati sumus , ut , sicut aspectus sæpe rerum facie , ita earundem nominibus nostræ nonnunquam aures offendantur : unde fit , ut animus , nisi ratione cohibeatur , res ipsas magno ceteroquin in pretio habendas comtemnat . Quo profecto naturæ , sive consuetudinis vi-*

tio

tio confiſos fuiſſe arbitror Metaphyſicæ vituperatores: cum hocce nomine a quibuſdam Ariſtotelis Interpretibus forte minus ſapienter, & ſatis barbare excogitato, nihil per ſe nobile, nihilque grave & laude dignum explicari videatur, ſed eo ineptiæ ſolummodo atque inanes ſubtilitates vulgo creduntur ſignificari. Quamquam vel ejuſdem nominis vim ſi paululum attentius conſiderarent homines iſti, quidpiam ex eo ſublime cognoſcerent. At vero, ſi uſus obtinuiſſet, noſtra ut hæc diſciplina, Prima Philoſophia, *& prima quidem non tam ordine doctrinæ, quam tractandarum præſtantia rerum, vel* Theologia, *naturalis ſcilicet, aut denique* Sapientia *appellaretur,*

quemadmodum reipsa est, eamque pluries Aristoteles appellavit; nullus sane unquam, nisi insipiens & stultus, ausus eidem fuisset conflare calumniam. Neque enim credibile est, ut scientiarum omnium (a) maxime liberalem & liberam, maximeque honorabilem atque Divinam, (*ut Metaphysicam nostram idem laudatus Philosophus prædicat*) *propter squallorem atque barbariem, quam olim, communi cæterarum disciplinarum calamitate, passa est, despiciendam abjiciendamque garrirent: alioquin imprudentissimi suas quoque merces, quibus ipsi tantopere gloriantur, quasque plurimi vendere*

student,

(a) lib. 1. Metaph. cap. 2.

studeant, in eandem, etsi nolentes, damnationem projicerent. Fateantur ergo, quod verum, quodque illis non minus, quam nobis est necessarium; quæ nempe sunt hominum artes profitentium vitia, eadem artibus ipsis minime esse tribuenda, neque in istas esse convertendas animadversiones, quæ forent in artifices exercendæ. Verum ut probabiles in Metaphysicam criminationes videri aliquando potuerint, nunquam tamen profecto minus, quam nostro hocce tempore, quo Sapientiores qui haberi, & esse cupiunt, nihil, quam Metaphysicam, impensius colunt; quove nec cæteræ disciplinæ satis delectant viros ingeniosiores, nisi Metaphysicis, hoc est exquisitis, necessariis, atque

que æternis rationibus fuerint pertractatæ; & quo denique tempore, tanto numero, ex Transalpinis præsertim, libri prodeunt de Metaphysicis rebus, aut Metaphysica certe subtilitate differentes: qui & avidiori præ reliquis studio a multis quæruntur, & diligentius versantur ab iis, qui contemplatione malunt, cognitioneque accurata clarere, quam multa onerari, indigestaque rerum memoria. Illud autem est mirabile dictu, seu verius ad movendos risus aptissimum, quod ex iis etiam, neque paucissimi illi quidem, qui Metaphysicam derident, eamque afficiunt contumeliis; libros tamen ex ejus penu depromtos, ejusque luminibus ornatos; non illius tamen abjecto, sordido-

que

que nomine inscriptos, sed aliis speciosis honestisque titulis decoratos, & cariore comparant pretio, & frequentissimis atque amplissimis laudibus prædicant. Verum Deo Optimo gratias nos habere atque agere summas oportet, Moderatores præstantissimi, quod Vos potissimum, singulari videlicet Sapientia Viros, Vobisque semper similes providentia sua literarum studiis præficiendos destinaverit, ne a vanis hominibus, suarumque dumtaxat rerum amatoribus quicquam contra fas & æquum inveheretur. Ipsi enim per Vosmetipsos optime novistis, quæ studia utilia, quæ necessaria fuerint, quæque adeo fovenda, aut emendanda; quæ contra tamquam inutilia, & ina-

nia exſcindenda: neque ullum ſubeſt periculum, ut Vobis a quoquam maledico, vel ab iis, qui quæ plane ignorant, ea ſe ſcire magnifice jactant, imponatur. Ejuſdem proinde Dei Optimi Clementiam enixe rogo, ut Vos Reip:, ac literarum bono diutiſſime ſalvos, & incolumes eſſe velit, mentemque in poſteros, atque animum Veſtrum transfundat.

Me-

58

Metaphyſica his præcipue temporibus Religioni primum, deinde Hominum ſocietati neceſſaria eſt.

ORATIO



I ita fortuna tuliſſet, lectiſſima Sapientum corona, ut a prima ætate in hac ego Urbe, elegantiſſimo Muſarum domicilio, auguſtiſſimoque ſcientiarum omnium templo, & literis inſtitutus, & veſtra uſus fuiſſem conſuetudine diuturna, id equidem inter Deorum immortalium beneficia haud mediocre reputans, veſtrum hodie conſpectum minus vererer, vultuque hilariore, animoque minus trepido, hunc editum ac per ſe honeſtiſſimum locum tenerem, quem Sereniſſimi Veneti Principis gratia & auctoritate, atque ampliſſimorum rei literariæ Triumvirum, ſummæ beneficentiæ delectu ſum aſſequutus: (quibus propterea cum gratias agere tantas non poſſim, quantas debeo; habiturus tamen ero tantas,

quan-

quantas maximas meus animus æternum capere poteſt). Nunc vero cum me novum plane militem in hæc ſacra Minervæ caſtra inter tot veteranos videam conſcriptum, ſub quorum prius diſciplina nullum poſuerim tirocinium, mehercule vehementius commoveri non poſſum. Hinc enim jure metuam, ne in hocce genere militiæ laudatiſſimo more veſtro valeam mereri ſtipendia; mihique illa ſint maxime defutura ſubſidia, quæ ab uſu & experientia pendent, quæque potius frequenter auſcultando peritos, quam longa meditatione percipiuntur; inter quæ artem, modumque dicendi potiſſimum refero. Ecquiſnam autem omnem adeo exuerit verecundiam, ut coram frequentiſſimo graviſſimoque conventu, cujus incredibilis ſapientia eſt cum ſumma eloquentia conjuncta, audeat vel non pleniorem habere orationem; ne rudem, indigeſtam, ac barbaram dixerim? Quis tam illiberalis, ut altiſſimis de rebus acturus ſermone uti ferreo, impuro, nihilque ſæpe bonis auribus ſignificante minime erubeſcat? Quamquam plurimos tam animo agreſti eſſe video, ut non eloquentiam modo late fluentem, mirificeque ornatam, verum etiam æquabile omne ac temperatum orationis genus, ipſamque rectam & caſtigatam dicendi rationem, quam aſſequi minime poſſunt ipſi, a Philoſophia,

& ab

& ab omni ſcientia judicent alienam. Quorum ego ab errore tam longe abſum, quam proxime ad eorum accedo ſermonis inopiam. Nec vero hoc a me eo dictum exiſtimari velim, ut apte, diſtincte, ornate, copioſeque dicendi facultatem quaſi ultro aliis concedens, mihi Divinæ Philoſophiæ, cujus tradendæ munus aggredior, laudem videar quodammodo vendicare. Id quam facerem arroganter, & ego ipſe apprime intelligo, & reliqui ſubinde haud ſine magno meo pudore cognoſcerent. Sentio enimvero res ſcientiæ huic ſubjectas, & ſublimius poſitas, & latius effuſas, & pluribus obtendi difficultatum involucris, quam ut eis ſe æquare humile ingenium poſſit, aut intra ſuas anguſtias comprehendere, aut hebetiore, qua laborat, acie perſpicere: quæ dum ſerio expendo, animos ferme deſpondeo. Illud vero plane me conficit, quod aliud longe ſit intra privatæ ſcholæ parietes obſtrepere; aliud in lyceo publico apertoque omnibus, idque Patavii dicere; Patavii inquam, ubi illi audiunt, qui optime docerent; ubi, quod caput eſt, ſummo viri ingenio, doctrinæ, eruditionis, & elegantiæ fama celebratiſſimi ſcientias profitentur, arteſque illuſtres. Cui florentiſſimo ordini cum ego adjungor, quanto ſuffundar pudore, verbis non ſatis valeo explicare. Reliquum,
quod

quod mihi accedit incommodum ex laudatissimis viris, qui sedem hanc eodem, quod mihi modo concreditum est, officio defuncti ornarunt, silentio præteribo, ne nostræ familiæ laudes, quamvis oblique, persequi videar. Omnia vero a me adhuc dicta, quæque mihi ad locum multo meo merito altiorem accedenti omnino dicenda erant, ita vos velle accipere quæso, ut infirmitatem meam confitenti indulgentiam tribuatis, quam a singulari vestra benignitate non sperare nefas esset. Quoniam autem de vestra in me omnium humanitate optimam opinionem animo imbibi, peto etiam a vobis, ut mihi detis hanc veniam, provinciæ meæ, quam ineo solemni hac die, accommodatam, vobis non molestam, eis vero, quas tanta cum gloria profitemini ipsi, quasque ego omnes ad unam veneror, disciplinis nulla ratione injuriosam; ut me pro Metaphysica primum dicentem patiamini de ejus dignitate & præstantia libere, quæ sentio, loqui, & in ejusmodi disciplina, quæ propter temporum injuriam olim in contemptum adducta jacebat, sed non ita multo ante a præclarissimis viris in hac ipsa Accademia erecta & vindicata, uti prope novo, quantum ego quidem intelligere possum, atque inusitato argumento, quo ad eam censui proludendum. Quod si mihi a

vobis

vobis tribui concedique cognoſcam, perficiam profectò, ut hanc Philoſophiæ partem non modo (quomodo poſſet videri aliquibus) non ſegregandam, cum ſit plus trecentis abhinc annis inducta, ab hoc celeberrimo Gymnaſio cæterarumque diſciplinarum collegio; verum etiam ſi non eſſet, pro veſtra pietate & ſapientia putetis adſciſcendam, atque aſſociandam fuiſſe. Etenim ſi Deum, quo nihil majus eſſe & cogitari poteſt, ejuſque cultum, ſi animorum immortalitatem, atque hominum convictum ſarta tectaque eſſe velimus, quod omnes maxime volumus, ſi quid ſanctum, ſi quid juſtum, ſi quid tranquillum, ſi Divina omnia & humana imperturbata deſideramus, in Metaphyſicam ego ſtatuo toto pectore incumbendum; atque ut paucis dicam, hanc habetote omnem conſilii mei rationem: Metaphyſicam his præcipue temporibus Religioni primum, deinde hominum ſocietati neceſſariam eſſe. Rogo vos etiam atque etiam, efflagitoque, ut auſum meum ſuſtineatis, donec rationes, quæ me ad id audendum perpulere, in medium adferam.

Quemadmodum nullum certius ædificiis ruinæ periculum imminet, quam cum fundamenta, quibus ſunt excitata, vacillant, nullamque infeſtiorem ſuſtinent Vrbes oppugnationem, aut acerbiorem cladem perti-

mescunt, quam cum hostes cuniculis tentant vallum suffodere, ut inter dejecta mœnia, eversarumque domorum strages conclusi cives miserrime opprimantur; ita nihil gravius, nihilque potentius in universæ Religionis excidium metuendum, quam si principia prima, quibus illa inædificata consistit, ex animi proposito revocentur in dubium, aut, quod pejus est, specie falsitatis per sophisticas argutationes obducantur. Licet omne verum suapte natura incommutabile sit atque æternum *, vitio tamen a nobis, an aliunde ducente originem, frequentissime evenit, ut vera quæ sunt, falsa existimemus, aut minimum incerta; quæ contra a veritate longissime distant, hæc firma nobis, aut probabilia videantur. Sed quod non sine cordis ægritudine potest recogitari, hujusmodi monstrosas vicissitudines nusquam faciliores, quam in Religionis negotio, deprehendere est. In hanc, quoniam præ cunctis

* Veritates aliæ sunt necessariæ & æternæ necessitudine, & æternitate absoluta, atque ex vi sua; cujusmodi sunt veritates omnes Logicæ, Geometricæ, & Metaphysicæ: Aliæ sunt necessariæ, & æternæ aliqua solummodo facta positione, & ex aliena vi, ut veritates physicæ & morales quamplurimæ. Sed hæc fusiorem merentur explicationem.

ctis rebus nos maxime tangit, satis procli ve videtur, sive excessu peccare, sive defectu, nimia solicitudine in opposita propellente. Vergit indocta & plus justo meticulosa pietas in superstitionem; cautio vero superciliosa, nimiusque libertatis amor ad impietatem delabitur Religionisque subversionem: quam in majore discrimine, casuique proximiorem haud eo tempore censeo, quando tristes popularium segetes vitiorum exuberant; sed cum homines pravis animi affectionibus impediti abundant ingenio & studio literarum. Nam quamdiu in animos Religio dominatur, sua quemque fraus, suummet scelus agitat, & vim passæ conscientiæ objurgationes perturbant. Hæ sunt hominibus, qui adhuc aliqua tenentur Religione, assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque, si quid impie sceleratequè commiserint, eos irrequietis pavoribus stimulant, ac criminum implacabiles pœnas repetunt: ad quas diras molestias depellendas viam diversam insistunt imperitum vulgus, & docti ingeniosique viri. Illud aut æternæ salutis projecta spe suo se fato committit, aut vana se lactans securitate veniæ demum obtinendæ externis solatiis studet intimum mœrorem delinire. Hi vero non adeo volunt (si superis placet) imprudentes videri, ut ab eo nunquam desistant, quod sibi agen-

B 2 dum

dum non esse persuadeant, æternumque malint perire, quam ab arrepto flexuoso tramite pedem referre. Quid igitur? Progredi nempe volunt, quo cœpere, sed læta fronte tranquillo corde, metuque omni prorsus fugato. Ingenii itaque præstantia freti, doctrinæque & eruditionis copia fulti, ausu plane incredibili Religionem aggrediuntur, quæ timoris omnis fons est & origo: ejus omnem sibi radicem averruncandam proponunt, ne, si qua forte supersit, sævos aliquando, aut ubi cum morte fuerit conflictandum, cruciatus edat, tumque furiis tædas accendat, unde perculsi animi concidant, eaque repente destituantur fortitudine, quam incolumes vegetique ostentant. Magna cavent provisione, quominus sibi id accidat, quod Tullo Hostilio novimus contigisse: cui longinquo morbo cum esset implicitus, (a) *adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut qui ante nihil ratus esset minus regium quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis parvisque superstitionibus obnoxius degeret, Religionibusque etiam Populum impleret.*

Hæc nemo a me Orationis caussa confingi

(a) Livius Decad. p. l. 1. c. XII.

fingi putaverit, quem modo secta illa non lateat, quam fortium spirituum vocant, (ego vero ferocium, audacium, temerariorum, immanium voco) quique non libros sine numero in dies prodeuntes ignorat, quibus nequaquam Christianæ Catholicæ Ecclesiæ recta bellum indicitur, sed Religio ipsa, quam, eo quod sit germen naturæ, dicimus naturalem, in certum discrimen adducitur; quæ ruere tamen non potest, quin etiam illa, quæ Divino superinducta est afflatu, in interitum propellatur. Isti, quos noto, Majorum suorum, qui a Romana Fide defecere, ausibus minus contenti, aliquid longe horribilius sibi moliendum cogitarunt; quod calidissime pro sua faciunt impietate. Cui namque bono Religionem commutasse, si in qualibet sit formidandum & flagitiorum pœnas eluere necesse sit? Pro dolor! hæc est natura conditioque quicquid libuerit agendi opinandique licentiæ, ut in deterius perpetuo feratur. Haud admodum hoc hominum genus solicitum est, quid veteri ac novo Divino instrumento contineatur, quid venerandus SS. PP. conventus doceat, quid Ecclesiastica ferat historia: neque laborant magnopere, quid Romanam dictamque perperam Reformatam Ecclesiam intersit. Cur enim in ramis sin-

 gulis

gulis amputandis tempus prodigant, quibus constitutum est arborem ipsam ad extremas usque radices succidere & convellere? Rationibus itaque, seu verius sophismatis ex perverso Metaphysicæ studio comparatis naturalem Religionem oppugnant. Ut namque eodem ex fundo humanæ naturæ, prout integer fuerit, sive infectus, virtutes enascuntur & vitia, ita ex ejusdem artis usu recto vel pravo opera utilia & noxia itidem manant; quique in arte fuerit exercitatior eo ingeniosius graviusque, si animum libido incesserit, in eam peccabit. Quis docto Medico peritius venenum mortiferum propinabit? Quis subtiliore astutia quam in Jure versatus justitiam circumvenerit? Qui igitur omnem plane Religionem inimice insectantur, Metaphysicam impensius colunt, illi se dedunt, illiusque recessus intimos subeunt, eoque ardentiori studio, quod eam videant a magna & præcipua literatissimorum parte, aliis distenta curis, negligi, aut in vaniloquentiam & nugas a quibusdam fuisse conversam. Altissima hujus scientiæ principia, notiones resque subjectas discutiunt, varie commiscent, proque suo ipsorum libito comparantes colligantesque confundunt, difficultates retrusiores easque gravissimas tota contentione promovent, atque urgent. Vere-
rum

rum Philosophorum (quo nomine præsertim digni habiti sunt, qui maxime Divinæ Philosophiæ operam præbuere) monumenta revolvunt, ut opinionum ratio nimque habeant delectum, quibus Religioni damnum inferre se posse arbitrantur. Ordinem sempiternum, quo uno verum ac bonum omne regitur, disturbare nituntur atque disjicere, cui casus eventusque fortuitos substituunt; aut si quem ordinem nonnulli victi experientia confiteantur, illum non a mente suprema judicant proficisci, sed per se ingenitum huic Mundi machinæ, quam a Divina procreatione subtrahentes ad infinita protendunt spatia æternitatis. Providentiam ac Deum ipsum a materia diversum, præmiaque & supplicia, quæ probos & improbos post mortem maneant, inter fabulas numerant. Animos ab omni materiæ contagione sejunctos eorumque immortalitatem ut idola vana delirantium irrident: quibus si cogitandi facultatem, quæ vis materiæ nequeat esse, objeceris, graves prudentesque monent, ipsius materiæ vires nobis esse latentes. Quod si eos familiarissime consulueris, omnia cujusque dogmata Religionis, aut a quibusdam cerebro infirmis, aut ab aliis plausus popularis captandi libidine, & lucri caussa, tum a viris politicis dignitatis atque po-

tentiæ amplificandæ gratia, calide sanciti fuisse ad subjugandam imperio continendamque in officio multitudinem imperitam, intelliges. Quoniam vero Socratis, qui stultam tantummodo Deorum turbam damnabat, extremam calamitatem in memoriam revocant, mirum quanto disseminant artificio impias opiniones! totidem Proteos crederes: modo prosiliunt, modo se retrahunt. Sæpe antiquorum male sanas sententias proferunt, quas aversari dum simulant, earum rationes explicando, novoque pro sua virili robore addendo, reipsa confirmant. Nonnunquam illos videas, dum alios læsæ Religionis arcessunt, in eorumdem tamen raptos admirationem celebrare ingenia, ingeniorum fœtus ad Cœlum usque extollere, argumenta prædicare, quibus nondum fuerit satisfactum. Dogmaticos ad tempus agunt, ad tempus sophistas, sæpissime Pyrrhonios humanæ mentis infirmitatem deplorantes.

Hæc cum tacitus mecum ipse recogito, soleo Deum Opt. Maximum precari enixe, ut mentes velit tam perniciosa lue pollutas expiare, eamque coerceat, ne in etiamnum puras veluti contactu quodam procedat. Sed si ab humana industria aliquod potest ad hunc morbum pellendum avertendumque parari remedium, præsidiumque fer-

ſerri Religioni periclitanti, illud non aliunde ſane crediderim quam e Metaphyſica ſincero diligentique ſtudio pertractata, tamquam e fonte ſuo poſſe depromi, ut fraudes ſua oppoſita arte deludantur. Enimvero modo ſingulæ diſciplinæ finibus ſuis contineantur, nec aliæ in aliarum ditionem incurrant, nullam omnino præter hanc unam invenies, cujus naturalis interſit Religionis principia & fundamenta tueri & confirmare, tela hoſtium retundere, paratoſque abrumpere ſcopulos & tendiculas. Ecqua enim id ſibi officii jure aſſumeret? Non ſacra illa Theologia, quæ naturæ lumen tranſmittens, una Divina auctoritate innixa, ſoliſque a Deo loquente principiis revelatis, atque inde profluentibus adminiculis, ſuo ex officio Chriſtianam Fidem dumtaxat propugnat offuciaſque diſpellit, quas ei prætendunt a Romana Eccleſia tranſfugæ, vel qui ſacrarum literarum partem aliquam amplectuntur. Tametſi non ſum neſcius, magnam Metaphyſicæ melioremque ſupellectilem jamdudum in illam fuiſſe illatam: ſed nos, quæ juris ſunt noſtri, quoad ejus fieri poterit, repetemus. Neque vero Philoſophiæ morum partes eſſe in naturalis Religionis defenſionem accurrere ullus recte ſentiens dixerit; ſed ut maxime hujus cultum pro loci ac temporis op-

por-

portunitate , cæterisque penfatis adjunctis procurare . Reliquas neque commemorando prætereo disciplinas, ad quas ne suspicari quidem fas est, quicquam de rebus hujusmodi pertinere . Una proinde superest Metaphysica , cui pleno jure universa hæc sparta ornanda debetur . Quod ex ipsis , quibus ab heroicis usque temporibus fuit insignita , Divinæ Philosophiæ & Theologiæ nominibus certum compertumque efficitur. Hæc igitur supra cæteras omnes naturali lumine partas scientias assurgens , ac veluti quadam in specula posita, universum terrarum orbem undique perlustrans , res animadvertit innumeras, infinita propemodum varietate distinctas, quæ constantia tamen, & ordine simul ineffabili omnes consentiant , singulæque quasi distribuentis justitiæ speciem cum productione sua, tum apta partium suarum compositione, præseferant. Ex quo imperturbato ordine cum tanto discrimine rerum conjuncto, copiosa luce diffusa, clarissime conspicitur suprema aliqua virtus & caussa , quæ rebus hisce aspectabilibus præsideat , quæ cuncta pro nutu , summa tamen sapientia , provisione & justitia temperato moderetur , certosque in fines dirigens ad concentum hunc mirabilem cieat . Ab orbe magno in parvum lumine reflexo Divina hæc Philosophia homi-

mi-

minum interiora pervadit; ubi nonnullas cum detegat veri æterni communes notiones, quibus universæ gentes pari consensione adhærent, ideam ratiocinando colligit ordinis sempiterni, cæterarum omnium veritatum regulæ & mensuræ: qui ordo, cum corporum nequeat esse simulacrum, neque illis incidi, quoniam hæc sunt fluxa, & labilia; certe quidem oportet, ut sit affectio rei, quæ corporeum omne, & caducum supergrediatur, quamque adeo mentem liceat appellare, mentemque, medius fidius, omni ex parte infinitam. Cum enim beneficio, & vi æterni illius ordinis generales quasdam sententias, præter ullam dissensionem, homines toto orbe dispersi, culti & barbari amplectantur, nulla cujusquam ipsorum mens, siquidem finita est certisque limitibus comprehensa, potest ejus ordinis, quo mentes innumerabiles, spatii & temporis immani intercapedine dissitæ colligantur, in easdemque veritates trahuntur, principium esse & origo. Hocce unum genus argumenti, ita solidum, ita splendidum est, cum fuerit, sicuti postulat, explicatum, ut eo Metaphysica posset impios omnes prosternere, eorumque tenebras dissipare; si non deploranda fateri experientia cogeremur, rationes plurimas, quæ sunt ad probandum efficacissimæ, ad persuadendum minimum valere, affectio-

nibus

nibus animi in contraria distrahentibus, ad quas longe tenacius, quam ad sirenum scopulos plerumque homines adhærescunt: quemadmodum contra rationes suapte natura infirmæ, tamen ut persuadeant plurimum possunt, quod sensui effusæque libertati indulgeant.

Verum quamquam est desperandum, ut qui obstinato, perditoque animo in sensuum tenebris delitescunt, eos isthæc disciplina quanto suo cunque fulgore illuminet; id saltem, prout est in humanis, efficiet, ne qui adhuc libero gaudent aspectu, alieni erroris caligine obtenebrentur. Metaphysica enim, pro qua dicere in animum nobis induximus, haud hercule distinctionibus vanis, sed maximi ponderis & clarissimæ lucis, non sensu vacuis verbis, sed integræ doctisque omnibus acceptæ significationis, invictisque rationum momentis, multo sane pluribus, quam valeant reputari, cum ignorantiæ superstitionem, tum vanæ fallacisque sapientiæ impietatem, quæ e regione opposita rationis Religionem adoriuntur, opprimit, fugat, exterminat; ut sanis omnibus veritas fulgentissime splendeat. Hæc Hobbesii, (ut de iis dicam, qui per hæc tempora sunt præcipui Genii dissolutorum) sacrilega dogmata, hæc Spinosæ post homines natos perfidiosissimi systema, hæc Baylæi argumenta pro gemino

Ma-

Manichæorum principio nimium jactata, ejusdemque, ut reliqua sileam, fallacia & dolo plenam, qua plurium Deorum cultores Atheis pejores affirmat, sententiam mira perspicuitate eludit, refellit, evertit. Hæc etenim Philosophia vere sublimis, duo rerum summa genera non distincta, sed plane diversa commonstrat, alterum in corpore, alterum in intelligente natura positum; e quo posteriore mentem æternam, immortalem, Deum Opt. Max. discernit, qui cunctas res alias ex tota æternitate præcesserit; easve quo temporis articulo ipsi fuit visum, ex nihilo, quia est omnipotens, procreaverit; artificioque inexplicabili ex infinita sapientia composuerit; quique sua omnia impleat immensitate; cujus cura & providentia suprema simul & infima, maxima pariter & minima temperentur; ab ejusque voluntate motus suos singula obtineant, unde omnis varietas & constantia oriatur. Homines quoque manifestis & ineluctabilibus argumentis evincit, ut animos habeant ex mente Divina decerptos *, de-

* Non equidem facta partitione Divinæ substantiæ, ita ut animi sint eius quædam portiones, sicut impie commenti fuere plerique veterum Philosophorum, atq e hæretici Manichæi, & Priscillianistæ; sed Divina efficiente virtute, a qua ex nihilo conduntur, ad Dei ipsius naturæ, quæ omnino incorporea est, similitudinem.

delineatosque, tamquam ejus adumbratas imagines, omnis materiæ expertes; qui vitam inclusi corporibus tribuant, hisque intereuntibus, illi æternum maneant, jugi felicitate, quæ rationem deceat, fruituri, si Deum ipsum, pro ratione scilicet, vereantur & colant, justitiam morumque probitatem sectentur; pœnas, si secus fecerint interminabiles daturi. Quis porro inficias iverit, cum hæc & alia his consentanea fuerint explanata, Religioni naturali esse Metaphysicæ opera consultum, deque impiorum caussa conclamatum? Qui, si tamen adessent, sicut longissime absunt, haud dubito, quin mussitarent, me sane multa, & speciosa huic disciplinæ tribuere, sed omnia ex revelatæ desuper Religionis præjudicio, quo summoto, non tam magnifice de illa sensurum; neque, si periculum fieret, ullam ex tot jactatis rebus ejus solius usu præstiturum. Itane vero? Quod ad me quidem attinet, nihil ego promittere ausim: cæterum quod ad scientiam ipsam spectat., si quo par est ingenio & diligentia excolatur, cum præfata tum alia plura, quocunque lumine alieno subtracto, de ea fidentissime polliceor.

Utrumne ergo quis dixerit, eodem illo præjudicio laborasse Philosophorum veterum præstantissimos, ut Thaletem Milesium, ut

Pytha-

Pythagoram, ut Socratem, Platonem, Aristotelem, aliosve plurimos, quos tam multa, tam præclara, tam vera, plerisque licet falsis intermixta, novimus de Religione tradidisse? (quamquam non me lateat, horum quoque pronunciata a plerisque malo dolo, in sinistram partem deflecti, sed hæc alias). Tuæ sunt omnes, Thales Milesi, Græciæ Sapientum princeps, tuæ, inquam, singulares illæ, ac vere divinæ sententiæ: Deum antiquissimum esse omnium, primumque motorem immobilem, qui neque initium habeat æternus, neque fatum immortalis timeat, quem ne nostræ quidem lateant cogitationes; factumque ab eo Mundum pulcherrimum; humanum item animum naturam seipsam moventem, impertientem corpori motum, expertemque interitus. Tuæ illæ sunt, Pythagora, Italicæ Philosophiæ parens, quibus Deum ajebas per universas Mundi partes commeantem (1) atque diffusum, (2) ex quo omnia, quæ nascuntur animalia, vitam capiant, illumque esse omnium principium & tem-

(1) Non loci mutatione, sed operationis efficacitate.

(2) Non porrectione partium, quas habet nullas, sed immensitate substantiæ individuæ.

& temperationem, virtutum & operum cunctarum opificem; neque sensui neque passioni obnoxium, quique tantum intelligi queat, non autem ullo percipi sensu. Atqui transmigrationis errorem si ab hujus Philosophi de animis doctrina absterseris, quid potest illa sanctius cogitari? *Audiebam*, inquit Cato major apud Tullium, (a) *Pythagoram, Pythagoreosque nunquam dubitasse, quin ex universa mente Divina delibatos* (3) *animos haberemus*: de quorum neque immortalitate ullo unquam tempore dubitarunt, quod ab immortali Deo originem ducant, ad quem tandem purgatos in Cœlum revehendos statuebant. Quid Socratem referam? qui pro Deorum multitudine eliminanda mortem subiit; qui contra Deum unum, Mundi mentem, in se ipso perfectum, rerum omnium conditorem, cunctisque, ut sint & bene sint, largientem pronunciabat; tum rei cujusque curam ipsum habere docebat, hominum vero imprimis, quibus illi placentibus præmia, displicentibus supplicia decreverit. Platonem similia & uberiora in Religionis commendationem præsidiumque attulisse, qui

(a) Lib. de seneƈt. cap. 21.
(3) Vide Annotat. pag. 17.

qui vellet ostendere, in meridie solem indicaret; quem felicissimo praestantis rationis ductu pene ad Christianae Religionis oras appulsum, non unus inter veteres Patres Augustinus admiratus fuit. Nam quid ego de Aristotele dicam, postquam Christianorum scholas a multis saeculis implet? Sed quorsum haec tam longa commemoratione? Ut quisque nempe intelligat, Metaphysicae esse naturalis Religionis officium defendendae & explicandae. Cedo enim, qua alia scientia instructi Philosophi illi, tam mirabilia & divina cogitassent? tum etiam, ne quis mihi amplius audeat sanctissimum optatissimumque Fidei praejudicium objicere, dum tanta de principe spondeo Philosophia.

Nunc si ex Philosophorum officinis discedentem ad sacras celebriorum Ecclesiae Patrum lucubrationes, vel cursim lustrandas, ut me conferrem, temporis ratio pateretur, Deum immortalem! in quam profundissimarum disputationum messem non ego inciderem, haud aliunde, quam ex opimo Metaphysicae campo accumulatam, ad eos, quibus nondum Christi nomen affulserat, revincendos? quos, praeter Gratiae Divinae miracula, incassum novi Legislatoris jugo subdere, ejusque mysteriis humanum captum longissime superantibus

initiare, prætentatum fuiſſet, non ante revulſis erroribus, quibus eorum in animis naturalis Religio ſordebat, cui tamquam ſurculus ea, quæ eſt a Deo promulgata, inſeritur. Qui namque fieri unquam potuiſſet, ut Philoſophi in diſſerendo ſubtiliſſimi ad Evangelium ſacris tenebris undique circumfuſum accederent, quos tamen magno numero acceſſiſſe neutiquam ignoramus; niſi naturali etiam Theologia fuiſſent edocti, legem Cœlo demiſſam ei, quæ a noſtra ratione exoritur, minime repugnare? Geſtiret animus, fateor, prolixam hoc loco ſeriem teſtimoniorum pandere, quibus exploratum facerem primos Eccleſiæ Magiſtros Primæ Philoſophiæ facem eis prætuliſſe, quos humanam profitentes ſapientiam ad novæ Religionis templum adducere conabantur. Sed modus adhibendus, ne otio & patientia veſtra abutar.

Non poſſum vero, neque debeo unum S. Thomam Aquinatem indictum præterire, quem Majorum inſtitutis, Magiſtri loco, qua decet obſervantia colo, ejuſque veſtigia magna cum voluptate perſequor, utinam ſic mentem aſſequi valeam atque doctrinam. Hic porro Sanctiſſimus Vir, ut ſacra in Theologia, ita in Metaphyſica facile Princeps, quis poterit, aut animo complecti, aut verbis ennarare, quantas ex hac

poſte-

posteriore suppetias universæ Religioni attulerit ? quantum illi inde subsidium accersiverit ? quam strenue omnes in eam impetus factos retardaverit ? Percurrantur, nisi pigeat, ab eo scripta volumina rationibus refertissima, non equidem ex Metaphysica nugaci, strigosa, ac, ut ita dicam, exangui repetitis, sed ex ea plane, quæ summa cum perspicacitate non minorem habet gravitatem adjunctam, meritoque augustissimo sapientiæ nomine commendatur. Vel unus ille saltem ex tot ejus codicibus sedulo legendus accipiatur, qui *Summæ contra Gentiles* titulum præferens, tribus prioribus libris omnem naturalem Religionem purioris Metaphysicæ ope in tuto collocat. Hic velut in solium suæ Majestatis Deus restitutus cernitur ab errorum injuriis, quæ vel olim ei fuere illatæ, vel hac tempestate inferuntur, vindicatus; omniumque impietatum, ac superstitionum monstra præfocata jucundum oppido piis doctisque spectaculum exhibent. Hic Metaphysicæ armis videas turbam Deorum cæsam, ut unus supremum, perpetuum, individuum gerat imperium. Primum mali principium a fatuitate Manetis invectum, & a præsidente Baylaeo, Zoroastris nomine, suffultum, videas protritum; Stoicorum ineluctabile fatum elusum, liberumque hominum arbi-

 trium

trium aſſertum . Videas demum (ne ſingula recenſeam) in hoc auro cedroque digno volumine , recentium omnium impiorum Achillem confoſſum , jugulumque petitum . Quid enim ? An non ibi Angelicus Doctor (a) integri Spinoſæ ſyſtematis fundamentum , quod vafer ille , a Davide quodam Dinando præjactum , inſtauravit , unica evertit diſtinctione , non jam ex Arabicarum cavillationum penu deprompta , ſed ex ſolidiſſimæ Metaphyſicæ venis derivata , iiſque verbis concepta , quæ nec Romanis auribus queant diſplicere ? Qui in illud idem , de quo agimus , opus , ſicut in reliqua ſui ingenii monumenta , alia congeſſit innumera , vel rejiciens ut falſa , vel ut probatu digna adoptans ; quæ a recentibus inde , quemadmodum ex aliis antiquæ ſapientiæ fontibus , vel etiam e vetuſtis errorum lacunis exhauſta , proque ſuis ipſorum mercibus jactata magnos plauſus , ac pene dixerim triumphos iſtis plagiariis impetrarunt ; ſed ab eo certe hominum genere , qui nova omnia putant , quæ ſibi ante fuerant ignorata . Quæ ego animo reputans interdum ſoleo ſubiraſci , non quod ſuas cuique laudes invideam , ſed quod , contem-

(a) lib. 1. contra Gent. c. 17.

tempta veneranda ſenum canitie, novitios ſcriptores videam immoderatius honorari, tum quoque cum furti eſſent judicio condemnandi; qui neque malorum fœtuum, quos in lucem emittunt, legitimi parentes extant; ſed illos jamdudum natos, atque confoſſos ſupponunt ſibi, ut ad vitam, ſi Diis placet, revocent diuturniorem.

Cum itaque iſtud vitii genus per hæc tempora in naturalis potiſſimum Religionis imperio graſſetur, oro obteſtorque, quibus facultas ſuppetat libros verſandi conſperſos impietate, ne ſaltem ad eorum accedant lectionem a Metaphyſica imparati, via & ratione puroque animo exculta: quam unam hactenus, (aut ipſe fallor) me exiſtimo demonſtraſſe, juſta mereri ſtipendia, ut Deum animoſque immortales tueatur, tum omnia quibus Religio naturæ abſolvitur? Ut enim nemo, modo per ipſum ſteterit, inter lue contactos, neceſſariis antidotis deſtitutus, morabitur; ita ſane, multo minus quiſquam prudens eos legerit libros, qui æternam poſſunt legentibus inferre perniciem; niſi admodum fuerit informatus diſciplina, qua erroribus occurratur, qui polluere animos poſſunt. Verum, ut a deficiente natura obtinere non licet, ne plerique omnes ſæpe ægrotent, tametſi vix

ægrotantium ullus ſit faciendæ ſibi medicinæ idoneus ; ita quotidiano uſu compertum eſt, plurimos , qui vix quidpiam literarum primoribus labiis attigerint , impotenti animorum æſtu ad libros , & cœtus abripi , in quibus peſſime excepta Religio laceratur, quamvis forte non pauci nil aliud pro Religione ipſa legerint vel audierint unquam , quam quod a nutrice diſcere potuerunt . Atque ea eſt temporum perverſitas , ut ſi quis de rebus bellicis , civilibus, de Juriſprudentia , de Medicina cum harum rerum peritis vellet pariter contendere , quia veluti ad otium eludendum in his aliquam temporis particulam triviſſet; ipſum valere & ad nuces redire juberent; meritoque enimvero : Contra autem multos tam male feriatos reperias , qui ferme ex tripode in Religionem ferant ſententiam , quod ad horam quandoque ex impiorum libris ſive congreſſibus venenum hauriunt; cum tamen, quæ pro Religione militant , rationes vel audierint nunquam , vel ad eas purgato affectu mentem nunquam intenderint . Quæ cum ita ſint , ecquis poſſit in dubium vertere , aliquos ad minus , ut Divinam Philoſophiam ſummopere colant, deſtinari oportere , & in hac præſertim Accademia non minus pietatis quam literarum altrice eam eſſe fovendam dili-

diligentissime? Si namque medendorum corporum disciplina tanto, & quidem juste, in pretio habetur; si Legum scientia, quæ servandis & ab injustis possessoribus repetendis patrimoniis occupatur, laudes tantas consequitur, tamque magnis præmiis merito afficitur; quotusquisque ausus erit facultatem contemnere, rerum illarum vindicem, quæ sunt perpetuæ felicitatis initia, Metaphysicam inquam, suapte natura suoque nomine, Sapientiam, quæ animos potest impietatis pestilentia laborantes sanare, istamque, ne latius serpat, comprimere; quæ bonorum incorruptibilium jura primæva intacta custodit, aut nebulonum cavillis perturbata nativam ad formam restituit? Ego certe sic sentio, sic judico: quemadmodum Principes nihil antiquius habent, quam ut propugnacula finitimis hostibus objecta sustineant, quibus stantibus, cætera, etsi forte fuerint amissa, recipiuntur; iis vero captis integræ provinciæ ferro, igni, arbitrioque hostium patent, spesque adimitur res accisas in integrum restituendi; ita quibus cordi sit curæque commissa Religio, Primæ Philosophiæ studium præ omnibus scientiis hac tempestate excitandum, emendandumque, qua parte fuerit opus. Illius quippe opera Divina omnia lumini naturali pervia propugnantur, quæ dum im-

mota consistunt, Religio etiam, quæ a Deo locuto prodivit, firmissimo stat fundamento; iis autem concussis, hanc quoque concidere & interire necesse est.

Satis mihi multa verba fecisse videor, cur Metaphysica esset pro Religionis naturalis incolumitate necessaria. Restat, ut illius deinde necessitatem posteriore loco confirmem ad humanam conservandam societatem: Cui non minores quam Religioni parantur insidiæ, nec minus noxium affertur ab hominibus perditissimis detrimentum. Sed vereor, ne ipse risum quibusdam, aliis etiam stomachum moverim, qui voluerim caussam hanc ad Metaphysicæ tribunal revocare; quæ tota ad viros politicos, ad Legum peritos, ad Philosophos denique, qui de moribus disserunt, spectare videatur. Etenim cum illi in disputando inciderint loci, ut de jure naturali & gentium, de justitia & æquitate, de legibus, de concordia & amicitia, de pietate in Parentes & Patriam, deque omni virtutis genere, quæ ad Cives & Rempublicam, aut Parentes & domesticos, vel ad cujusque mores componendos referatur, sit disputandum; clamabunt, nullus dubito, juris interpretes, clamabunt artis politicæ præceptores, omnesque morales Philosophi clamabunt, sua hæc esse omnia; nihil ad Me-

Metaphyficos attinere. Utinam, Auditores Ornatiffimi, eo loco forent res hujufmodi conftitutæ, ficque ab alienæ malitiæ erroribus expeditæ, ut nullum a noftra fcientia exigerent adjumentum. Utinam per quorumdam hominum perverforum immanem cogitandi infolentiam, & in vulgus ea fpargendi, quæ fentiunt, fibi illæ primæ difciplinæ fufficerent, neque opem cogerentur poftulare aliunde.

Sed (pro Deum atque hominum fidem!) illi ipfi, homines ne dixerim, an hominum monftra, quos ad Religionem omnem quatiendam confpirare non fine magno animi horrore vidimus, hominum quoque convictus, vitæque focialis leges tentant vefano conatu fummovere, quas fulcire fuifque locis fiftere nequaquam poffunt, nifi qui diuturnas cogitationes in Divinam Philofophiam contulerint. Quem, rogo, præterit, Johannem Bodinum, Michaelem a Monte, Thomam Hobbefium, Benedictum Spinofam, Petrum Baylaeum, multofque alios horum gregarios, non amplius Carneadis inftar æquis momentis in utramque partem difceptare, fit ne in rebus humanis juftitia; verum jus ipfum naturæ atque officium omne pervertere? principia univerfa, quibus mores ad honeftatem formantur, & familiares, civilefque confociationes alun-

tur, eliminare, explodere? Suapte enim natura nihil honestum, nihilque inhonestum esse palam effutiunt, sed has bonorum differentias atque malorum, hominum opinione exortas: jus ac bonum quodlibet utilitate æstimandum; tum illud tempori locoque servire; imbecillos postulare jus æquum; in summa vero potestate atque fortuna illud æquius esse, quod validius; quibus proinde vires suppetant, eisdem pariter licere servitutis jugum cæteris imponere; atque iccirco solummodo parendum, quod via sit præclusa ad imperium; homines non rationis ductu communisque gratia utilitatis, sed metu impellente, propriorumque commodorum illecebris una coaluisse & contineri; leges demum non boni communis, sed potentiæ consilium esse, quo stolida multitudo edometur. Si hæc autem pestifera semina doctrinarum in hominum animis radices egerint, an non brevi domus, oppida, omnesque civitates in ferarum silvas commutabuntur? unde turbæ, rapinæ, cædes, seditiones, parricidia, & cuncta criminum genera redundabunt, quæ præterea criminum deformitatem & nomina amittent; hæc enim perpetrantes contra naturam & rationem se facere minime arbitrabuntur. Itaque non illud modo natura patietur, (quod satis per se horribile est)

ut

ut quis externorum spoliis suas facultates & opes augeat ; sed civium itidem , fratrum , ac Parentum ipsorum , commodi sui caussa , fortunas invadat & sanguinem fundat. Jam fas erit exercitibus & subjectis populis non legitimi tantum imperii jugum excutere , sed vel ipsos Imperatores & Principes cum in vincula conjicere , tum ad supplicium rapere : quæ dubio procul totius generis hominum conciliationem dirimunt , commercium omne dissolvunt , quin ipsum humanum genus exterminant. Quod si Panætius apud Tullium (a) negabat, ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse , quam eorum opinionem , qui utile ab honesto distrahentes, alterum sejunctum ab altero bonum esse ajebant; quo nomine eos appellem , nescio , qui bonum omne sic instituunt , ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque cujusque commodo, non honestate metiuntur.

Quando porro ad hæc opinionum monstra ab orco vocata extirpanda , aut compescenda fasces non adhibeantur securesque, sed sit ratione utendum , quis neget a Prima Philosophia potissimam ac necessariam opem postulari debere , quæ , aut ipsa so-

(a) lib. 3. de off. cap. 2.

la, aut certe cum aliis disciplinis conjuncta viribus tantum opus absolvat? qui enim humanæ consociationis primordia & stamina vitiare satagunt atque disrumpere, non alia profecto quam ista scientia abutuntur, ut ex iis, quos supra indicavimus, sophistis, satis superque constat. Artis autem vitia & fraudes sola ars ipsa potest retegere & amoliri. Sed age, cominus congrediamur. Quid ex lege pura contendas cum eo hominum genere, qui leges omnes obganniunt dominantium libidine conditas in propriam ipsorum tutelam & lucrum, suæque ambitionis alimentum? Quid vir vere politicus cum iis, qui omnem politiam, civitates, & Respublicas subruunt, disputaverit? Quo sese demum vertet Moralis Philosophus, ut eorum impetus frangat, qui omnino hominem ex homine tollentes, minime in naturam peccari autumant, & perfracte affirmant, modo quod fit, utile fuerit & delectabile facienti? Ut artifices instrumentis sublatis non possunt artium suarum opera conficere; ita scientiis inferioribus qui principia subduxerit, resque illis subjectas abstraxerit, tum ipsismet facultatem omnem disputandi intercipit, totamque earum doctrinam præcidit: quæ propterea, ut inter anticipationes habeant sua axiomata, necessarium est, uti & res

qua-

quarum proprietates disquirunt: alioqui: & solum deesset, quo pedem figere, & arma, quibus hostem aggredi, & seipsas possent tueri. Constans adeo, rataque est Philosophorum sententia, ex his nullam eo assurgere, ut pronunciata prima & elementa demonstret, aut materiem, cujus perscrutatur affectiones, propugnet. Unde enim suas investigationes exordiretur, quove dirigeret? Altius igitur est cum totius humani generis hostibus disputatio attollenda. Ad Metaphysicam, quam illi adulteratam in commune periculum detorquent, eos oportet advocare, ut, unde se præstare maxime exultant, inde apertissime ferant confusionem. Etenim ab ea, veluti a summo jugo, fiunt scientiarum divortia, quibus ipsa æternas rationes inspiciens, & res ab unaquaque pro penso enodandas dispertit, & convenientia ad id muneris principia tribuit; quæ ubi circumveniunt, suisque technis involvunt Sophistæ, eadem illa scientiarum domina & regina, tamquam ex jure dominii, officioque defendit, illustrat, & impetentium fraudes dissolvit. Itaque, ut membra corporis languent, vitamque amittunt, dum eorum cum corde, a quo omnis vita originem ducit, communicatio impeditur; sic scientiæ reliquæ, si a Prima Philosophia deserantur, quando notiones earum primæ-

que

que positiones invaduntur, deficiunt, ac spiritum reddunt.

At enim non ea sola ratione, quæ in omnes disciplinas pervagatur, ad continendam hominum consociationem, pacemque communem sovendam suam Metaphysica operam præstat. Est altera, qua ob peculiarem hujusce rei, de qua loquimur, conditionem, illius sibi tutelam assumit, ac Jurisprudentiæ, doctrinæque civili, & morali ex officio subsidio venit. Non sterilia tantum & communissima quædam principia suppeditat: sed jus ipsum naturale & gentium hæc scientiarum humanarum princeps explicandum generali ratione, propugnandumque sibi vendicat. Ipsa siquidem est, a qua illud in duas tribuitur partes; quarum altera jus naturæ *prius*, Stoicis dictum *prima naturæ*, altera jus naturale *secundarium*, quod iidem Philosophi *naturæ consequentia* appellabant, complectitur. Primum ex universo genere a nostra scientia definitur, Divinæ bonitatis participatio, qua creata quæque ad suas perfectiones, & semetipsa tuenda propendent; quod Stoicis iccirco *prima naturæ* sonabat, quia homo nascendo illud edocetur, his sensuum notis, voluptate nempe & dolore, quibus ad sequenda utilia fertur, & noxia devitanda, ut communem cum cæteris animantibus

tibus vitam conſervet : qui quando id aſſequi per alienam injuriam prohibeatur , vi corporis , Divino ad id ſibi tributa beneficio , vim nocentem propulſat . Ex quo etiam jure maris & fœminæ conjunctionem , liberorum procreationem & educationem oriri Metaphyſica cognoſcit . Jus alterum naturale a Juſtiniano ex noſtra certe ſcientia (cujus omnes antecæptam animo quamdam informationem habemus) definitum eſt , quod *naturalis ratio inter omnes homines conſtituit , & apud omnes gentes peræque cuſtoditur :* quodque hominem inſtruit , ſeu quaſi inſtigat & urget ad officia rationi , vitæque ſociali conſentanea obeunda .

Quoniam vero hoc geminum jus ſedem habet , radicemque in anima , quamquam vires prioris in corpore ſint collocatæ ; cumque præterea unum atque alterum neceſſarium ſit & æternum , & utriuſque primordialia ſemina noſtris mentibus natura indita , non arte parata inſint ; utrumque profecto Metaphyſica ſingulari quadam ratione conſiderandum , & ab alienis ſophiſmatis expediendum adſciſcit ; non ſecus atque animam ipſam , cui illud ſculptum inhæret , contemplatur . Cujus namque eſt fundus , ad eundem ea pertinent , quæ in illo innaſcuntur , maxime ſi ſponte ſua &

non

non aliena opera innascantur. Et quæ alia, quæso, scientia præter Metaphysicam, par erit ad ostendendum, licet ambo hæc jura naturæ sint per se immutabilia & æterna, illud nihilominus quod appellatur *prius*, vetari jure voluntario posse; secus alterum, quod est *secundarium*? quia nimirum illud non tam præceptum est, quam permissum, non tam debitum, quam licitum; cum corpus respiciat & sensum, quæ sua natura subsunt corruptioni; istud contra in ratione positum est, seu verius est ratio ipsa, quæ perpetuo eadem manet, quæque omnibus hominibus edicit, recta agere necessarium esse, vivere autem non esse necessarium. Quæ alia, præter Metaphysicam, scientia demonstraverit, ea, quæ ad jus naturale prius attinent, materiam esse juris voluntarii, hujus vero formam, illa, quæ jus naturale secundarium constituunt? Sed hæc hodierni instituti non est fusius persequi. Quæ tamen si alicujus auribus durius accinant & insolentiora videantur; adest Aristoteles Magister omnem auferens dubitationem, quem pro certo habeo ad jus istud naturale animum intendisse, dum in Ethicis (a) docuit, civilem doctri-

(a) lib. 5. Eth.

doctrinam a Divina Philosophia principia mutuari. Quare ego non abs re censeo, talem inter disciplinas, quæ hominum societatem & vitam regunt, statui posse nexum, ac veluti propagationem, ut universa civilis scientia per virtutem & justitiam naturalem, tamquam per rivum a Philosophia morum deducatur; utraque vero ordine quodam, quasi ab uno communi fonte profluat ex Metaphysica, quæ de Deo juris naturalis conditore supremo, & regula æterna pertractat, tum de animo humano ejusdem juris tabula primæva, deque animi mente & ratione, tum demum de ideis, & axiomatis, quæ cognitionem omnem atque actionem promovent.

Hæc porro, quamvis ex se vera existimem, si qui tamen primo aspectu nova putent, mihi valde opportunum fuerit, judicium isthuc adducere viri scientia & eruditione præclarissimi, atque in Jure peritissimi Johannis Baptistæ Vici, (a) qui postquam animadvertisset Jurisprudentiam, quæ omnem societatis rationem digestam comprehendit, ex partibus tribus componi; Philosophia videlicet, quæ necessarias Juris caussas vestigat, Historia quæ Juris voluntarii testis est, ac denique pro-

---

(a) De universi Juris uno principio, & fine uno. lib. uno. in proloquio.

propria quadam arte Juris ad facta attemperandi; tum subjungit, unius Metaphysicæ opera fieri posse, ut illud firmissimum atque incommutabile Jus demonstretur, de quo infelix arbitrium ademptum sit ambigendi, an reapse sit justum; proindeque ex illa Juris principia accersenda esse; ex illa regulam certam ac necessariam judicandi, quantum Juri naturali gentium leges civiles addiderint, quantum detraxerint; unde & Romanæ Jurisprudentiæ fundamenta fierent explorata. Addit postremo idem laudatus vir, ingens animo suo desiderium insedisse experiundi, an Metaphysicæ auxilio ejusmodi principia Jurisprudentiæ venari potuisset, in quæ omnia demonstrata congruerent: quodque fecit reipsa, fueritne autem assequutus, Sapientibus judicandum relinquo. Mihi equidem haud parum arbitror profuisse, vel Jurisperiti judicio comprobasse, Primam Philosophiam in rem humanæ societatis summa necessitate desiderari. Quam tamen, etsi veram sententiam proferendi tantus fortasse animus non stetisset, ne nimium quibusdam viderer ab ipso primo ingressu res nostras extollere; nisi experientia didicissem ab Aquilone erupisse, & in dies erumpere hominum furias ad leges & jura sanctæ societatis abroganda, sicut ad Religionem, quæ est illius arctissimum vinculum, profligandam, fallentium doctrinarum divul-

ga-

gatione, quas non ex tritis Dialecticorum fallaciis, non ex vitiosa argumentorum forma consarcinant; sed ex rerum ipsarum, primarumque notionum perturbatione, ac meditationibus a communi sensu, & sana ratione remotissimis; quæ Metaphysicam certe, vitiatam autem redolent, cui sola, quæ germana & sincera est, possit occurrere. At tandem omnem temeritatis incurrendæ metum vos ipsi abstulistis, doctissimi Professores, non hujus solum Gymnasii, sed totius orbis literarii lumina splendidissima, quorum prælectiones, quibus me præteritis diebus beastis *, Metaphysicæ, altissimæ videlicet sapientiæ uberrima luce ornatissimas sum admiratus; utpote non a vulgaribus & cuique promptis rationibus, sed a primis usque, & reconditis originibus repetitas, non in cortice sistentes rerum disputandarum, sed illarum latentes, intimas, & principes caussas in medium proferentes. Nihil enim, si modo meum judicium non aspernetur, nihil, inquam, a vobis singulis, pro sua cujusque scientia & arte, non enucleatum, non exquisitum, non profunda & æque soli-

* Gymnasium Patavinum in more positum habet, ut designatus Professor prius audiat Professores omnes pro schola dicentes, quam ipse ad docendum ingrediatur.

solida contemplatione subactum, nihil non plenum sapientiæ audivi. Quamobrem facto vestro experiri licuit, quod ratione & auctoritate tenebam, Divinam Philosophiam in scientias omnes, humanasque disciplinas excurrere.

In hanc proinde nullus mihi superest locus ambigendi, quin vos generosi atque studiosissimi Juvenes omnem mentis aciem tota solicitudine convertatis; qui, si quo modo fieri possit, ad sublimem vestrorum Professorum gloriam exæquandam contenditis; Sed Tu imprimis Nobilissime atque Spectatissime Pro-Syndice, qui ut eos proxime dignitate contingis, ita ex fama ingenii, optimæque indolis tuæ pro certo habeo, te eorumdem Sapientiam avidius æmulari. Quapropter nullum pro parte vestra periculum subesse confido, ut nostra schola unquam solitudinem patiatur; dummodo ego ipse partes officii mei strenue adimpleam; quas me pro viribus adimpleturum audeo etiam hoc ipso ex loco, & coram hoc summæ auctoritatis cœtu meam vobis fidem obligare, quam faxit Deus solvere ut possim cumulatissime; ne & utilitati vestræ & voluntati Principis Augustissimi videar ullo tempore defuisse; neve quemquam illorum pœniteat, qui in caussa fuere, ut mihi hoc onus imponeretur. Quorum e numero, duos imprimis venerabundus suspicio; Te videlicet, quem magna animi alacritate præsentem intueor,

tueor, Senator Amplissime, Delphinæ Gentis grande decus, & ornamentum; & qui etiam absens tantum ubique valet auctoritate, operum singulari præstantia, & gloria nominis, Patruum tuum Aquilejensem Metropolitam *. Quare vos ambos, cum ob hanc ipsam, tum ob alias multiplices rationes, totamque Domum vestram colam memoria & obsequio sempiterno. Sed dum cogitatione reputo, me, eodem Te auspice, opus adoriri, quo, inter alios, agente illud fuit mihi commissum, animadverto sane, me optare auspicia meliora minime potuisse. Qua de re tanta esset gaudii magnitudo, ut eam capere vix animo possem; nisi illud inde, multo magis quam dici queat, imminueretur, quod Tuas, totiusque Delphinæ Familiæ laudes pro meis votis consequi dicendo non possim; quibus tamen pro merito celebrandis & omnium Oratorum linguas impares, & omne tempus quis neget fore brevissimum? vel si ea sola spectentur, quæ nostra ipsorum memoria a Majoribus tuis, atque a Te ipso gesta fuere; quæque me in eam opinionem adducunt, ut certo credam, Delphinos Heroas ab ipsa procreatione ex peculiari Dei munere Divina Philosophia, hoc est ea sapientia perfundi, qua mirum in modum & Re-

* Dionysium Delphinum Patriarcham Aquilejæ.

Religio procuratur, & humana ſocietas fovetur. Quot enim, per Deum immortalem, Delphinorum Familia, uno eodemque tempore, non protulit Viros, qui ſacris ſimul, atque civilibus rebus, qui Sacerdotio & Imperio, qui Infula & Sacra Purpura, qui denique Sago & Toga tanto cum ſplendore claruerunt, tanto cum Numinis cultu, Patriæ bono, & commodo privatorum? Mihi crede, Senator Inclyte, tanto dolore afficior, ut pene me pigeat dulciſſimæ præſentiæ Tuæ, quod verbis complecti non poſſim, non dicam proavos, abavos, atavos, ſuperioreſque antiquiſſimæ ſtirpis Tuæ; ſed ne ipſum quidem avum, (1) ejuſque Fratrem (2) ſacri, civiliſque Orbis oraculum, ejuſdemque Filios, (3) patruos tuos, o quales viros! neque eorumdem merita immortalia, ne, ſi quem nominavero, cæteris videar feciſſe injuriam; quorum ſinguli tam egregia ediderunt facinora, ut ſibi laudem, poſteris gloriam, Patriæ felicitatem, qua ſacram, qua civilem nunquam intermorituram pepererint. Quid? quod ipſum parentem

(1) Andream Delphinum.
(2) Johannem S. R. E. Cardinalem, & Patriarcham Aquilejenſem.
(3) Marcum S. R. E. Card. & Epiſcopum Brixienſem, Nicolaum & Hieronymum Ædis D. Marci Procuratores.

tem (4) tuum, prudentia regiminum, (testem appello hanc ipsam nobilissimam Urbem) consiliorum maturitate, Legationibus pluribus ad summos in Europa Reges, temporibus difficillimis præclarissime obitis, quodque longe est difficilius, morum innocentia virum plane incomparabilem silere compellor; cujus inter innumera, & maxima, quæ vivens, & moriens (5) in Rempub. contulit beneficia, illud reliquis antistare existimo, quod Te, talem ac tantum Filium genuit; per quem, tuosque Filios, perpetuamque Nepotum seriem, quam Tibi ex animo precor, nunquam desinet immortali Reip. prodesse: Cui Tu ipse ab usque adolescentia jam summopere profuisti. Testimonio esto quovis alio majori, vel ultimum navale prælium, in quo Tu Invictissime Andrea, tantæ fortitudinis, tantæque prudentiæ militaris specimina præbuisti, ut, sicut ab intemeratæ fidei testibus accepi, teterrimi hostes non minus Te formidarent, quam strenuum patruum tuum Hieronymum, quem maxime formidabant. Quam adeo

(4) Johannem Delphinum Equitem, qui in Legatione apud Achmetum III. Turcarum Imperatorem, annum sextum supra septuagesimum agens supremum diem obiit.

(5) Rempub. secundam hæredem testamento reliquit, virili familiæ suæ posteritati substitutam.

adeo ergo credibile est, Te, cum adverso mari & vento impedireris, dicere consuevisse: *navigare est necesse, vivere non est necesse*; cumque prælium instaret: Pro Patria, & Christi Imperio confligere & sanguinem dare *est necesse, vivere non est necesse*. Quare nihil dubito, quin, quando se occasio tulerit, Te, facillima deliberatione, Veneti Patres suæ Classi supremo Imperio præficiendum putent, atque summos, qui in Repub. dari possunt, honores aliquando obtineas. Reliquum tantum est, ut, sensu nostro,

(a) *Dj Tibi dent annos, a Te nam cetera sumes;*
Sint modo Virtuti tempora longa Tuæ.

Habita est IV. Non. Aprilis MDCCXXXII.

Coram

ANDREA DELPHINO

Patr.Ven.Sen.Urbis Prætore, ac Pro-Præfecto,

Et

JOHANNE CHRISTIANO HICKL

Nob. Carinthio Artium Prosyndico.

(a) Ovid. epist. ad Germ. Cæsar.